

letis, lateralibus 2 acutis, infima multo longiore reliquis et villosa.

Senecio abrotanifolius, habeo simillimum in mea collectione, nec dubitaveram esse hujus varietatem, Tu qui vidisti, procul dubio, Clusianam plantam, poteris certiora pronuntiare et videre quibus diferat. An calyx habeat squamas succenturiatas (sit calyculatus) ut in reliquis Senecionibus observes; ex specimine Tuo videtur calyx esse simplicissimus.

Videris mihi non accepisse meas ultimas, in quibus de Tidströmio dixi. Cista Tua nimis sero accessit Hamburgum, postquam hyems negaverat accessum in Sueciam, adeoque non potuit cistam obtinuisse, etiamnum mare est glacie apud nos fere tectum, nec ullae naves aut accessere aut abivere a nostris terris. Cistam pro Te cum lapidibus vidi apud Tidströmium paratam, et urgebo cum primis navibus quod petat Holmiam et inde Hamburgum.

Psoralea enneaphylla Tua distinctissima est ab Indiae orientalis planta. Tua est vera Psoralea, Indiae orientalis est vera species Indigoferae, et habet carina utrinque calcar patens.

Laetor quod Dionaeam acceperis, cujus figura et descriptio exstat in Actis upsaliensibus a D. Ellisio missa, proculdubio de hac stupenda planta plura a Te edocemur, utinam rite apud Te germinaret. Erit proculdubio culturae difficilis, utpote locis uliginosis et turfosis nascens.

En aliquot plantas capenses.

Hyems fuit intensissima, longissima et maxime procellosa, nunc aquae abundant; nulla arbor etiamnum apud nos frondescit.

Dabam Upsaliae 1770, d. 8. Maji.

---